



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

XXX. Der Papst Clemens III. bestätigt dem Domcapitel alle Besitzungen und Gerechtsame, am 29. Mai 1188.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

tisque ad locum, qui dicitur Vürstede, inclusive, cum proprietate, hereditate, censibus, redditibus, fructibus, proventibus, pratis, pascuis, insulis, paludibus, stratis publicis, communibus meatibus et transitibus, quibuscunque viis et inviis, gurgustis seu piscium capturis, meliorandis contractis et collapsis reficiendis et alias de novo struendis cum meliorationibus et accrescentiis, piscationibus magnis et parvis ac tractionibus quocunque tempore, quando eis placet, cum superiori et inferiori iudicio, limitationibus ac omnibus et singulis suis pertinentiis universis libere. Preterea nullus in ea cum Puert, Lamme, Alrep, Hevekoruen, Rufestellen, Esekorven, Klevenetten, Vloken nec aliquo genere piscationis possit nec debeat piscare, palos ponere, gurgusta vel aliquas capturas piscium de novo struere, nisi de predictorum prepositi et canonicorum voluntate, consensu et licentia speciali ei expressa. In contrarium venientes auctoritate et nomine ecclesie prepositi et canonicorum eorundem valeant licite impignorari ac alio modo constructa dirui. Insuper inferiorem Obulam retro urbem Brandeburch et Woltitz usque Pardwin cum aquis, aquarum accursibus et decursibus piscationibus, paludibus, graminibus, superiori et inferiori iudicio ea libertate, ut prepositus et canonici, ibidem deo militantes plenam habeant potestatem ponendi et struendi in hac Obula inferiori et eam in urbe Brandeburch et alias ducendi et convertendi in utilitatem eorum et dicte ecclesie, sicut eis placet, contradictione cujuscunque non obstante, in perpetuum cum plenitudine proprietatis libere habendum. Quicumque vero huic mee donationi, appropriationi et facto contraire vel ea infringere attemptaverit decem libras auri purissimi prefate ecclesie Brandeburch totiens, quotiens contrafactum fuerit, irremissibiliter persolvat. Preterea quecunque bona ac possessiones, que avus et pater meus Otto, marchio in Brandeburch ac alii principes, nobiles et Christi fideles eidem ecclesie beati Petri, principis apostolorum, in Brandeburch contulerunt, et ego rata et illesa permanere recognosco et statuo, nichil michi, heredibus et successoribus meis in eisdem reservando. Ut igitur firma et stabilis mea donatio et appropriatio presentibus et futuris temporibus perseveret et canonicis, in prefata ecclesia deo famulantibus, fiat quoad temporale subsidium fructuosa, et hoc factum meum a labili memoria hominum in posterum non recedat, omnem ambiguitatem removendo prefens scriptum ex certa mea scientia mei sigilli impressione munivi. Testes hujus rei sunt, quorum nomina sunt hec: Adelbertus, filius marchionis de Misene, comes Fredericus de Anvort, Walterus de Arnsteyn, Cunradus filius Sifridi de Arneburgh capellanus marchionis. Sunt autem facta anno dominice incarnationis M^o. C^o. octuagesimo septimo, summum pontificatum in sancta Romana ecclesia regente Urbano III^o., regnante Frederico, Romanorum imperatore invictissimo feliciter. Amen.

Nach dem Originale. x

**XXX. Der Pappst Clemens III. bestätigt dem Domcapitel alle Besitzungen und Gerechtfame,
am 29. Mai 1188.**

Clemens episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis, Henrico preposito Brandeburgensis ecclesie ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum — dilecti in domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et prefatam Brandeburgensem ecclesiam, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, inprimis siquidem statuantes, ut ordo ca-

nonicus, qui secundum deum et beati Augustini regulam atque institutionem Premonstratensis ordinis in eadem ecclesia nōcitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur, preterea quas-cunque possessiones, quecunque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonicè possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum, in quo prefata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam beati Godehardi in Pardewin et beati Nicholai in Lucheberch, ecclesiam sancte Marie in Harlungeberg cum tertia parte decimarum ex adjacentibus partibus vinearum, villas etiam Bukowe, Garceliz, Bultiz, Kik, Muselfiz, Gorne cum decimis et omnibus appenditiis earum cultis et incultis, silvestribus, palustribus cunctisque utilitatibus cum duobus lacubus inter Gorne et Soloe fitis, villas quoque a marchione Ottone et filiis ejus Ottone et Heinrico ecclesie vestre collatas, scilicet Muczoe, Tremene, Thure cum decimis et omnibus appenditiis earum, ecclesiam in Thure cum tertia parte decimarum de villis ad eam pertinentibus, scilicet de Izin, Crelin, Bauwerstorp et quecunque ville ibi fuerint, centum mansos in Zuchafitos, quos predictus Otto princeps pro anima patris et matris et uxoris sue Judithe marchionisse, eorum filii consentientibus, obtulit cum omnibus pertinentiis suis, quinque modios majoris mensure salis annuatim perfolvendo, villam insuper, Dambe dictam, a Rudolfo de Jericho in opus ecclesie Ottoni marchioni resignatam et ab eo et filiis ejus cum omnibus ad eam pertinentibus ecclesie nostre oblatam, decimas ejusdem ville a Wilmaro episcopo in usus vestros concessas; molendinum quoque in Clinke, sex etiam arearum fundos in civitate Pardewin a fidelibus oblatos, ecclesiam Cechowe cum dote sua, scilicet duobus mansis et omnibus decimis ejusdem ville et tertiam partem decimarum de villis ad eam pertinentibus; ecclesiam in Goliz cum dote sua, scilicet duobus mansis, ecclesiam Verchiecere cum dote sua, scilicet duobus mansis; ecclesiam in Nibede cum dote sua, scilicet duobus mansis et tertiam partem decimarum tam harum villarum quam ville Wachowe pertinentis in Goliz, totam villam Pluffin in Zuche sitam cum omnibus pertinentiis suis et totam decimam ejusdem ville; capellam Marzane ecclesie Verchiecere pertinentem cum dote sua, scilicet uno manso; villam Sconelo, in qua sunt triginta mansi cum tota decima et omnibus pertinentiis suis, curam animarum urbis Brandeburch, que vos jure sedis episcopalis contingit, sicut eam Wilmarus, Sifridus et Balderamus episcopi vobis concesserunt et curam animarum de ecclesiis, que ad usus vestros pertinent vel in posterum pertinebunt. Ad hec omnia jura, que vestra ecclesia juxta morem aliarum ecclesiarum Saxonie iuste et pacifice possidet, vobis et eidem ecclesie vestre auctoritate apostolica confirmamus, specialiter autem antiquas et rationabiles consuetudines ecclesie vestre hactenus observatas, auctoritate duximus apostolica confirmandas, obeunte quidem ejusdem ecclesie prefule in successore ipsius antistitis eligendo primam vocem decernimus vos habere nullusque vobis injuriis per subreptionem aliquam vel violentiam preponatur, sed ille debeat in vestra ecclesia locum et officium pontificis obtinere, quem unanimi voluntate vel de consilio majoris et sanioris partis de gremio ipsius ecclesie videritis eligendum. Si autem in vestra ecclesia persona non potuerit idonea reperiri, de alia ecclesia eligendi personam idoneam licentiam habeatis. Statuimus insuper, ut archidiaconatum Brandeburgensem videlicet de Kytin et Juterbuch et terre de Havela versus orientem usque Oderam, item versus occidentem usque ad aquam, que Yla dicitur, sicut eum ecclesie vestre prepositus hactenus rationabiliter et absque controversia possederunt, tu, fili prepositi, tuique successores indivisum nec aliquatenus diminutum debeatis in perpetuum optinere. Prohibemus etiam, ut infra terminos vestros sive in ecclesie vestre debita supultura sive in aliis que iuste posseditis hactenus et

quiete, nullus ipsius ecclesie jura temeritate qualibet audeat perturbare, denique ne plebani vestre diocesis contra consuetudinem ceterarum cathedralium sedum Saxonie atque vestrum in electionibus pontificum faciendis ingerere se presumant, auctoritate apostolica inhibemus. Sane agrorum vestrorum, quos propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e seculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere et eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem fas sit absque prepositi sui licentia de ipso discedere, discedentem vero sine communium litterarum cautione nullus audeat retinere. In causis autem propriis, sive civilem sive criminalem contineant questionem, liceat vobis fratres vestros idoneos ad testificandum adducere atque ipsorum testimonio, sicut rectum fuerit, et propulsare violentiam et justitiam vendicare. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura salva sedis apostolice auctoritate et diocesani episcopi canonica justitia. Si que igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove communita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subjaceat; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

Ego Clemens, catholice ecclesie episcopus.

(Es folgen die Unterschriften von 11 Cardinälen.)

Datum Laterani per manum Moyfi sancte Romane ecclesie subdiaconi, vicem agentis cancellarii. III Kal. Junii, indictione sexta, incarnationis dominice anno M. C. LXXXVIII. pontificatus vero domini Clementis pape III. anno primo.

Nach dem Originale.

XXXI. Der Pappst Clemens III. bestätigt dem Bisthume Brandenburg seine Besizungen und Gerechtsame, am 29. Mai 1188.

Clemens episcopus, servus servorum dei, venerabili fratri Baldoramo, Brandenburgensi episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. In eminenti sedis apostolice specula, disponente domino, constituti fratres et coepiscopos nostros tam prope positos quam remotos fraternam debemus caritate diligere et ecclesiis sibi a deo commissis paterna sollicitudine providere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus clementer anuimus et prefatam Brandenburgensem ecclesiam, cui deo auctore preesse dignosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quascunque bona eadem Brandenburgensis ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis mo-